

## **Disputatio physiologica de respiratione insensibili ... / [Ludwig Miller].**

### **Contributors**

Miller, Ludwig, 1654-1690.  
Bruno, Jakob Pancraz, 1629-1709.  
Universität Altdorf.

### **Publication/Creation**

[Altdorffii] : Typis Henrici Meyeri, [1680]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kfswks52>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Q. D. B. V.*

DISPUTATIO PHYSIOLOGICA

*De*

TRANSPIRATIONE  
INSENSIBILI,

*Quam*

SVB UMBONE

VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi  
atque Experientissimi,

DN. JACOBI PANCRATII  
BRUNONIS,

Phil. & Med. D. hujusq; in Almâ Altdorf-  
finâ Prof. P. undiqvaq; Famigeratissimi,

DN. Patroni, Fautoris atque in tramite Studiorum  
Promotoris, summâ Reverentia, constantissimo  
Amore atque omnis generis promptissimo Honore  
et eternum officiendi,

defendet

M. LUDOVICUS MILLER, Augustanus.


AUTHOR.

A. E. C. M DC LXXX. die Palmarum profecto.  
H. locoq; Consy.

---

*ALTDORFFI,*

Typis Henrici Meyeri, Acad. Typogr.



## ILLE

Per qvem Spiramus , Vivimus & Sumus ,

*hunc nostræ*

# TRANSPIRATIONI Cœli Sanctum & Spirabile Lumen esse sinat.

§. I.

**V**T cuivis patere possit , qvid sit id , de quo Disputationem Suscipimus , ab instituto minus alienum nobis videtur , cum proponuerimus confessim in ipso limine Rei definitionem . Eam verò pro nostro Judicii & Intellectus dictamine istiusmodi extruimus :

*Transpiratio insensibilis est humani Corporis Actio Vitalis , portiones excrementarias , per apertos cutis poros , ferè absq; nostro sensu , ordinariè , in statu s. n. eliminans ; partim in sanguinis depurationem & flammae vitalis felicem multiplicationem , partim in Totius conservationem .*

§. II.

Definitum est *Transpiratio insensibilis* , qvod vocabulum ut ritè evolvamus , herculeo labore non indigebit ; et

enim ubi existat domi, cuive fonti primitivo rivulos suos debat derivativos, vel ipsa syllabarum connexio indigit, nisi forsitan Barbarus qvidam Potitus (cui stultitia prima sit, Sapientia caruisse) Grammaticorum localem præpositionem trans signorit secernere à Spiro & compositum in suum simplex reducere.

## §. III.

*Homonymia* perit & nostra Transpiratio ab alio qvovis perspirandi modo in habitu nostri corporis liberatur vel distinguitur unicâ adjectione τῆ insensibilis; licet enim *Exspiratio*, altera Respirationis pars, quâ itidem halitus extiuntur à corpore, sed oris instrumento, qvosqve Aēr è bronchiis assurgens exsangvine pulmones pertransiente haurit & in medio bronchio ccursu aëri inspirato offert atq; per illum denuò expiratum effert; qvoqve nobis ferè non attendentibus contingat, tamen si hanc illi comparare velis, animadvertes levinegotio, ut se juncta sint Merrhæ & Siloam fluenta, ac quantò magis Exspiratio sensui sit exposita Transpiratione: modò experimentum in Temetipso facturus in gressu utaris pernici celeritate, profectò non cum sensu tantummodo sed & molestiâ expirabis, qvando anhelitus moventur, vultus mutantur, atqve ora torquentur, nihilominus claustrum corporis perrumpentibus fuliginiibus, in eodem festinationis actu, tam clandestinè, ut non nisi ab effectu, nempe sudore, percipiás, nimborum in corpore tempestatumqve potentem Regem, videlicet Sangvinem, laxas dedisse habenas in se luctantibus portionibus, quò uno velut agmine facto siccā cutis superficiem irrigarent.

## §. IV.

*Univocatio* qvoqve parum negotii nobis faciliit, dum è Latinis non adeò multa occurruunt, qvibus una & eadem significandi ratio ex æquo reciprocabilis attribui valeat. Respiratio namqve non uno modo ab illâ differt, unde & Galen.

Com-

Comment. in libr. οὐχινῆς διάτης ὀνομάζω γέναπνοήν μὲν, τὴν διὰ τὸ σώματὸν ἔξω τὸ καὶ εἴσω Φορέντὸν πνεύματὸν, διαπνοήν γένην διόλογον τὸ σώματὸν ὁμοίως μηγνομένην, i. e. Respirationem voco, cum Spiritus peros intrō & extra fertur, per spirationem verò cum idem per totum corpus contingit. Sudatio autem est ejusdem quasi species, aliud nempe nihil, quām adaucta Transpiratio. Interea tamen Perspiratio, Evaporatio, Exhalatio & Diffratio cum Transpiratione recurrere posse videntur. Quod primum horum attinet, de eo verba projicere non est necesse, cum solā factā permutatione præpositionis per cum trans, terminatio simul & significatio eadem subsistat. Econtra Evaporatio apta est & ad materiam & ad ejus ventilationem expri- mendam, saltim si lumen accendamus ex Chymiae foco, ubi docetur, qvod Evaporatio sit sublimatio materiae liquidæ & resolutio in halitus, uti videre est in Theatr. Chym. Volum. III. p. 430. Jam vero pari ratione (ita tamen ut analogia ultrà suum tertium non extendatur) liqvor, i.e. sanguis, in corpo- re humano, calori, i. e. igni vitali, exponitur, ut halitus in sublime eleventur & ad suum excipulum, i. e. cutim & cuti- culam amandentur. Insuper cum plerumque vapores, qui exhalant, tantā sint subtilitate præditi, ut vix ac ne vix quidem in sensus incurvant, eodem modo, nostra ἀδηλοφαπνοή insensibiliter & successive portiones quasdam de succo purpureo in halitus resolvit resolutosque dimittit. Exhalatio quia cum evaporatione coincidit, (vid. Schröder. Pharmacop. Med. Chym. L. I. c. 14. b. tit.) efficit, ut ulteriori verborum ambage supersedeamus, prosecuturi Synonymum ultimum Latinum, qvode esse diximus Difflationem. Ita enim Interpretes Galeni, quoties ferè cunqve occurrit in Græco idiomate διαπνοή, eam per difflationem transferre consueverunt, v. g. in Comm. VI. in VI. Epidem. t. 3. versio talis reperitur: *Nos enim diximus, Hippocratem difflationis utilitatem demonstrare;* per difflationem autem intelligi, spiritus per totum corpus ex-

arteriis emanationem, sicut ore factam expirationem vocamus. Et paulò post: *Quam motionem* (videlicet spiritus intro forasq; sicuti ex proximè præcedentibus liquet) in quibusdam nostris commentariis, non solum per oris respirationem, sed etiam per difflationem à toto corpore fieri explicavimus. *Difflationem occultam*, qvæ superflua extenuata in modum vaporis evacuet, vocatur *Comment. VI. aphor. 2.* Cum quibus locis conferri possunt plures alii, quos, ne nimis farcta fieret pagina, omisimus, aurem imprimis pervalentibus, qvæ adhuc restant dicenda ac sub incudem revocanda. *Cardano* (*de quo uno verum fuit, quod de universâ Philosophorum familiâ Varro dixisse fertur: Nemo agricola quidquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus;* ita de eo judicante Theologorum suæ ætatis, absq;ve omni Controversiâ, Primipilo, *Dn. D. Danhauer. in Hodos. p. m. 1435.*) occulta audit *Spiratio, Libr. de Subtil. XII. p. 466. edit Lugdun. anno 1580. m. vero Basile. anno 1611. p. 648.* Neq;ve h̄c opus fuisset censoriâ ferulâ Scaligeri, subtilioris aliàs omni subtilitate, *in Exerc. 273.* dicentis: *Verba tua te produnt; qui dicas, manifeste aut occulte* (*Cardanus enim l. c. ait: spirant, vel ut mea editio habet, respirant animalia omnia manifeste vel occulte*) *quāram quiscaſ? Si occulta vidisti, non occulta sunt.* Nam quid apertius, quam Cardano dici occultam Spirationem, qvæ aliis insensibilis vocatur, i.e. qvæ fit per exiguos ascensum fugientes totius corporis meatus; Hyperaspiste Celeberrimo Viro *Dn. Gerhard. Joh. Voss.. Libr. de Idololatr. Gentil. IV. c. 20.* Majori autem est admiratione dignum, potuisse Virum (Scaligerum) tantæ & tam variæ Lectionis, nodum in scirpo qværere, ubi lenis admodum atq; enodis appareat juncus; imò ubi multis retrò Seculis ante Cardanum Galenus διαπνοή agnovit ἀδηλον, i.e. non manifestam, neq; perspicuam, sed occultam potius atq; obscuram. Nam in *Commentario I. de articulis text. 30.* inquit:

inquit: ὅτῳ δὲ ιατρῷ εἰκὼν οὐ νότιον ἐργάζεται π., σῶμα μὲν ἐνρημένοις τε τῷ περίθη, καὶ μετὰ τὸ τεῖβε ὃ περιχώ. εἴ τις γένοιτο σύντηξις, εἰκενθν αὐτῶν, εἴ το διὰ τῶν ιδρῶν αἰσθητῶς, εἴ λίγῳ θεωρητῶς καὶ τὴν ἀδηλον αἰσθῆσθαι Διαπνοή. i. e. Quando vero Medicus dedita operā attenuare ac gracile reddere corpus aliquod vult, primū id inediā coēret: postea frictionibus adhibitis & exercitationibus accommodatis, si aliqua colliquatio contängit, eam vel per sudorem, quod sensu patet, vel per sensui obscuram sed ratione perceptibilem difflationem, digerendam curat.

Ec Comm. IV. in VI. Epid. text. 21. Transpirationem vocat, οὐνήθως ἀπαστοῖς τοῖς νεωτέροις ιατροῖς λόγῳ θεωρητῶ Διαπνοή, λέπαδ' ἐπεργα λέξιν τινὰ ἄλλοι τινὲς ἀδηλον αἰσθῆσθαι Διαπνοήν ὄνομάζονται ηδομένων μὲν ἀπασινήμην ἐν ἀπαντῷ Βίῳ, i. e. quæ ab omnibus Medicis recentioribus jam trita & usitatā voce ratione perceptilis difflatio nominatur, quam etiam alterā appellatione quidam sensui ignotam perspirationem nominant, quæ nobis omnibus per totum vitæ curriculum inest. Confirmat id ulterius Com. III. Aph. 20. ubi ait: Φύσεως αὐτῆς γενέσιν ἐργα, τὴν ἀδηλον Διαπνοήν ἐργάζεσθαι καθ' ὅλον τὸ σῶμα, διῆς εἰκείνεται περιττά, i. e. Naturæ opus est occultam per totum corpus facere transpirationem, per quam excernuntur superfluitates. Ec Com. I. Aph. 15. ἀδεεῖς γενέσιν, ὃς γέ φησι Διαπνεῖσθαι τὰ τῶν ζώων σώματα, τὴν Διὰ τῶν αἰδήλων αἰσθῆσθαι Διαπνοήν πόρων, i. e. Nemo est, quæ non consentiat difflari corpora animalium eā, quæ fit per sensui occulta foramina, difflatione. Ex quibus allegatis, Suppetias Cardano ferentibus, facillimè colligitur, ipsum non meruisse, ut huic suæ sententiæ nigrum præfigeret Scaliger Thita. Ut taceam, præter Antiquitatistestimonium, vim opposito argumento nullam inesse: Si occulta videntur, non occulta sunt. Qoniam non tam respicitur Visus in hoc Naturæ exercitio, quam tactus, adeò blandus, ut non animadverta-

vertatur, qvī afficiat. Neqve semper manifesta sunt, qvæ oculis conspiciuntur, ita ut totius aperta jaceat natura rei, cum haud raro obviorum nos fugiat cognitio. Sed ne ni-  
mūm ultrà septa transiliamus, addendum, adhuc aliquid est  
*de Synonymis Græcorum*, qvibus ip'se actus materiæ discutiendæ  
dicitur *Ἀλφόρησις* dissipatio, vel, uti vult Anut. Foësius in *Oe-  
conom.* *Hippocr. h.t. humorum*, qvī in aliquā corporis parte conti-  
nentur, per insensiles cutis meatus evaporatio & digestio. Id verò  
qvod dissipatur, vel per corpus transpirat, vocant *Ἀλφόρημα*.  
Utut non sit dissimulandum, diaphoresin in specialiori signi-  
ficatu nonnunquam denotare ipsam sudationem, unde &  
medicamenta urgentia sudorem Diaphoretica dicuntur. *Ἀλ-  
φων* qvoqve eandem nominis notionem cum transpiratione  
obtinet, præsertim cum apposito τῷ ἀδήλῳ, h.e. occulto, qvod  
hi motus obscuri sint & nativi caloris beneficio per occulta cutis spi-  
racula tententur, ante citat o Foësio in *Oecon.* *Hippocr. h.t.* afferen-  
te, & cum Galeno, *Comment. ad Aph. 28. Sect. 2.* comprobante.  
Vernacula nostra fortè redderet die *Berauhung* / vel eine  
*Ausdämpfung des Leibes* / aut ex Dygbyanâ Hupkæ transla-  
tione de *Sympathiâ* , eine immerwährende Ausgiessung der  
Atomen des Leibes. p. m. 96. Atqve his suo, qvo decet, ordine  
præmissis, ad ulterius examen ipsius definitionis recto trami-  
re progredimur, & cum omnis definitio absolvatur suo gene-  
re suaqve differentiâ specificâ, de utroqve, prout Dii dabunt  
dicendi facultatem, pro viribus edisseremus.

## §. V.

Et Generis quidem in locum suffecimus *Actionem*; quia  
nimirūm motus est ab arbitrio Naturæ dependens, & justâ  
temperie, conformatioне partium legitimâ, nec soluta ea-  
rundem unitate, symbolum suum egregiè conferentibus,  
emissit itias ex animi ergastulo particulas singulari virtute  
propellens. Ubi qvoad Requisitorum in actione primum,  
præcipui Agentis instar sese offert, ille à sangvine proximus

Ignis

Ignis congenitus, sive, ut Pontifex noster maximus Hippocrates loquiamat, ἐμφυτον πῦρ, et secundum Philosophum in ἑταῖροι τῆς φυχῆς ἐμπύρωσις, de quibus consule Gualter. Charlet. Oecon. Anim. Disp. I. §. 4. & Thom. Willis de Anim. Brut. part. I. c. 21. ubi quām eleganter docet atque demonstrat, animam Brutalem seu sensitivam vel ignem esse, vel halitum flammæ proximum & affinē. Cum verò agens non sit sine eo, in quod agat, cuive characterem suum imprimat; ita & hoc in loco patientis & receptivi vicem sustinent ex quatuor integumentis corporis communibus postrema duo, Cutis & Cuticula, tanquam adæquatum & ultimum istius actionis terminum absolventia. Tertium, quod in actione requiritur, est ipse actus sive ἀνέγενα, quām hac ex parte absolvit actualis & insensibilis halitum exspiratio. Tandem succedit ἀπελέχεια, actus consummatio vel perfectio, quæ h. l. aliud nihil est, quām portionum à sanguine seqvestratarum in foraminulis cutis intima insinuatio & ad extremam ejus & cuticulæ superficiem forinsecūs facta protrusio, quemadmodum in sequentibus res clarior evadet.

## §. VI.

Porrò, ut magis determinaretur genus Transpirationis insensibilis, restrinximus actionem, per superadditum lyvitale. Siqvidem ferè omnibus, qui prima Medicinæ elementa tradunt, solenne est, functiones Microcosmi tribus potissimum cancellis includere, in quorum primo continentur Naturales, & Conservationi Individui & Speciei Propagationi prospicientes; In secundo Vitales, Pulsus & Respirationis Authores; In tertio Animales, Sensus & Motus Indices. Jam verò ad classem Naturalium actionum propriè non pertinere perspirationem, inde patet, quia, sive τὴ καθεκάστη perpetuam in suo esse sustentationem, ex vi Nutritonis, cum αποθέσι appositione, tūm αποσφύσι agglutinatione, tūm etiam ομοιώσι assimilatione (vid. Galen. lib. I. de funct. nat.

c. 10. & lib. VII. Method. Med. c. 6. 7.) damnum deperditarum portionum resarcientis examines ; sive ponderes humani generis immortale propagmen, virtute generationis, individuo pereunte speciem conservantis ; neutri harum, ut sic, observabis istam inadvertibilem evacuationem ceu speciem proximo suo generi subjici. Sed nec Animalium actionum in corpore ordini adscribenda venit, quippe atomis similes particulae, per datam sibi portam cutaneam adeò tacite moventes pedem, ut non sentiantur ire, primae illarum speciei, quam sensuum series exprimit, è diametro refragantur : sed nec secundæ convenit, quam Institutionistæ Motum faciunt, dum scilicet per illum indigitant universalem & totius corporis simultaneam agitationem, & speciatim *κίνησις κατά τόπον* motum secundum locum sive localem. Restat itaque series vitalium, Sangvini (qui non injuriâ humorum reliquorum omnium Author habetur, à Præceptore meo summè suscipiendo, *Magnif. Dn. D. Mauricio Hoffmanno Prudent. Med. D. 1. tb. 7.* ut potè singulis iisdem ex eo, veluti rivuli ex fonte, originem vel ducentibus, vel quicquid humidatum vehunt, in ipsum ceu communem oceanum exonerantibus) sedulò ancillantium, quando vel Pulsu quodam ex arteriis ad partes universas agitur, vel Respirationis ope illius Igniculus refrigerium & ventilationem, aut incitamentum & suscitatem adqvirit: quod posterius evideat defocatissimi Ingennii Philosophus (ornatus hoc encomio ab Anton. Deusingio in Exercit. Anatom. pag. 19.) anteà allegatus Charleton. Oecon. An. Exerc. VIII. de Respirat. th. 13. tanquam pro aris & focis propugnare videtur: cuius tamen concertationis perfectam decisionem, quia à scopo nostro maximè est remota, exercitioribus Mystis Aesculapii remittimus, ostensuri potius, cui specierum, ex vitalium actionum sorte, utrum Pulsui an Respirationi? potissimum accenseri debeat. Respiration, quemadmodum constat, conficitur Aëris inspirati reciprocâ exspiratione;

ratione; ita ut dubio omni procul (*conf. §. III.*) calefacto & per Pulmonum substantiam probè circulato Aëri, ad fauces regredienti, comitis instar atque socii in viâ sese adjungant cras in alias sanguinis æquè ac flammæ Vitalis, momentaneâ sobole sibi simili semetipsam conservantis, continuam multiplicationem imminuere natæ portiones: ast, ut partes quævis, infimi, medii & supremi (præ primis verò hujus) ventris, juxta cum annexis artibus, tantopere evaporent, (posito tamen, ordinariâ id fieri naturæ lege) certè non Respirationis hoc est negotium, sed Pulsus: nam hujus ope Sangvis arteriosus partes cum fervido impetu alluit, & dum alluit, fuligines dispergit, & dum dispergit, easdem ad cutim & cuticulam deponit. Unicum nunc superest, quod in præsentithesi monendum censemus, nempe quod minimè inficias eamus, mutuis amplexibus constringi actiones corporis inter se & magis sibi ipsas consentire, quam machinæ, quæ horas designant, ex siccitate aut humiditate aëris suum subinde amittentes tenorem. Sic namque Animalis nulla datur, quæ non vitalem in consensum rapiat, nec vitalis, quæ non juventur à naturali, nec naturalis, quæ non ab utraque & vitali & animali subsidium petat; ex mutuo videlicet Sangvinis atque Spirituum per corpus commeatu. Ut adeò concedendum sit, nostram quoque Transpirationem communicare per Pulsum, cum reliquis Actionibus, Naturali & animali ac quædam tenuis ob amicabilem conpirationem ad illas referri posse, per effatum Hippocratis, in suomet labio multò venustius audiendi, *de Aliment. c. IV. text. 29.* ξύπναια μία, ξύμπναια μία, ξυπναῖα μία.

## §. VII.

Addidi ulteriùs, Actionem esse *humanæ corporis*; quia cū Medicina non versetur circa corpora Brutorum, neque hic congruum fuit, illorum considerationi inhærere & turpiter belluam cum homine uno fasce complecti.

Differentia Specifica desumitur I. ab objecto sive materia circa quam. Constituunt verò eam *portiones*, et in datâ definitione posuimus, *excrementitiae*, i. e. Sangvinis præcipue, tum succi nervosi & Lymphæ, serosæ ut plurimum, cum paucō saline sulphurearum & spirituosalium comitatu, particulæ, quæ sub formâ vaporis tenuissimi è poris cutaneis continuò exhalant & uno aliâ nomine *Fuligines* dicuntur. *Galenus lib. VIII. de Method. Med. cap. 2.* Excrementa universaliter distribuit in Vaporosa sive halitiosa, quæcunque per cutem foras effluere sunt apta; Humida, quæ per vesicam; & denique Sicca, quæ per alvum: ἀτμώδη μὲν, ἰνquietens, ὅπου διὰ τὴν δέρματος, εἰς τὸ κτήνος αἴπρρεν πίφυκεν· ύγρὰ δὲ, ὅπου διὰ τῆς κύστος· ξηρά δὲ, ὅπου διὰ τῆς κάτω γαστρὸς. In specie autem recrementa per cutem excernibilia subdividit in fuliginosa, vaporosa & fumosa: nam *Lib. I. de caus. morb. cap. 3.* ferè circa fin. δεῖλον ζεῖν, ait, ὡς καὶ τὰς φυσικὰς ἐπίστασθαι ζεῖν, καὶ τὰς θηρικὰς διατέσσεις τὴν σώματος, τὸν αἵστερον λυγνυῶδες, η̄ καπνῶδες, η̄ ἀτμῶδες εἰς τὸ διαπνεόματον. Ast quia inibi illi sermo est de effectibus sangvinis præternaturalis magis, quam naturalis & secundum naturam se habentis, Authori suam subdivisionem relinquimus, non quidem negantes, Tria hæc, Fuligines, Vapores & Fumum realiter à se invicem distingvi, ita ut Istæ (loqvor autem de hisce, sicut & de cæteris, ceu de corporibus naturalibus, extrâ humanum corpus consideratis) sint particulæ striatae, elevatae ex lignis incensis vel succis pinguioribus, camino tenaciter inherentes, amarum præse ferentes saporem, asperæ, acres &flammam propter oleum, quo pollent, concipientes; Illi, particulæ longæ & lubrica ac facillimè è corporibus separabiles; hic, halitus multâ exhalatione & modico vapore, acribus autem & mordacibus corpusculis constans (*Vid. Joh. Baptist. du Hamel de Meteor. & fossil. lib. I. pag. 3. & lib. II. p. 121.* It. Honorati Fabri. *Tract. VI. Physic. p. 430. seq.*) sed paululum dubitantes, utrum

tām

tam exacte atque accuratè omnia in habitu nostri corporis distingvi & in diversa genera diduci possint vel debeat. Nos interea in verbis erimus faciles, & sive quis fumo, vapore aut fuligini comparabit materiam, è succo vitali relegandam, arietem propterea nulli emittemus, contenti, istius potissimum esse conditionis, ut fuliginibus etiam simillima apparet. Nam, uti (1.) Fuligines sunt substantiae tenuissimæ; ita spiculae corporis tegmen perforantes, patiter summæ sunt tenuitatis, & sensui inadvertibiles. (2.) Qvemadmodum ex rei combustibilis incendio oriuntur; sic ratione parùm dissimiли, ex portionum sangvinis haud difficulter inflammabiliū non interruptā accensione eadem exsurgunt. (3.) Uti camino tenaciter inhærent; illæ ad minus imparem ferè modum sedes sibi firmas qværunt intra cutim cum cuticulâ, adeò ut multoties, frigore improviso accedente, iuavolationis conatu, in iis perinde ac in diversorio hospitentur aliquandiu, & obstatipatis poris ab omni aditu Aërem peregrinū sive adventitium excludant; unde & cutis superficies, antehac mollis & glabra, aspera tactuique horrida evenit, qvod vulgò vocant dñe Gânse Hauf. Nolo fieri transfuga & in castra hostilia statūs præter naturam ire, ubi infinita exempla in scenam possent produci eorum, qui à pertinaci fuliginum subsistentia sanitatis damna gravia sustinuere. (4.) Amari-ties aliqua illis inest; hæ itidem subamarum qvodammodo præbent saporem. (5.) Acrescunt; acredinem istæ sal sedine suâ produnt. (6.) Oleosæ sunt; non rarum genus est eorum, qui dum balnea freqventant, anteqvam eant in sudorem, fuligines transpirant pingves atque oleagineas. Hinc apud Aristot. in Meteorolog. lib. IV. c. 9. ηγέρων θυμίασις, λιγύς, Pinguis exhalatio, Fuligo dicitur. (7.) Asperitate gaudent; Scabies & Lepra, ab earum sed acrium retentione profectæ, satis asperam præbent faciem.

## §. IX.

Et hasce fuligines reverâ dari in homine, non solum Schola Medicorum antiqua credit, verum & ex recentioribus Joh. Anton. van der Linden in Select. Med. p. 575. Fuliginem, ait, ducente Natura, per habitum corporis ad cutem propellit, & hinc foras per poros quos vocamus, in confessis est, & Ib. p. 685. fuliginem definit per recrementationem oleosi sanguinis, quod illi in flammulam vitalem, quem Spiritum vocamus, accenso & deflagrato superest. Hoc aquosis vaporibus, (ita enim pergit Lindenus) ad promptiorem & innocentiores exspirationem, permixtum, constituit verè τὸ λιγνυῶδες, fuliginosum quod vocat Hippocrates, à naturâ suâ; χολῶδες, biliosum verò, à materia. Deinde eodem loco differentiam inter favillam & fuliginem tradit, illamque nihil aliud quam ἔκκαμψ τὸ λιγνυῶδες sive fuliginem ustam, h. e. vaporato sero plus minus privatam, esse, additis duobus observationibus, confirmat. Idem in Meletem. Med. Hippocr. part. Physiol. §. 29. Ventilatorium geminum facit: Respiratorium & Perspiratorium. Et subsequ. §. 31. Perspiratorium, ait, faciunt Arteriae & Cutis. Arteriae: quatenus è sinistro corde accipiunt cum sanguine vapores ac fuligines, & istos partim ad internas cavitates, partim cum fuliginibus foras per cutem amittunt. Clariss. quoque Willisi Tract. de Febr. Cap. II. p. m. 77. postquam fermenta, quae à solutâ sanguinis compage descendunt, distinxit in tenuia & crassa, illa appellat, quæ velut fuligo ab igne accenso, aut effluvia à liquore fermentato, à sanguinis liquore constanti diaphoresi per corporis spiracula evaprant: hec autem, quæ velut cinis ab incendio residuus, aut faces à fermentatione subsidentes, à cruoris massâ protinus secerni, & foras amandari debent: secus enim confusione suâ insignes perturbationes insanguine producunt. Vindex autem Pyretologiæ Willisanæ Richardus Lower, Medicus Oxoniensis, in Distrib. de Febr. p. 87. recrementationa vocat fuliginosa; & subsequenti pagellâ,

pagellâ , sanguinis in dextro cordis sinu accensi spiracula pulmones  
 esse, ejusdemque in sinistro cordis sinu accensi fuligines alias arteri-  
 olarum osculis per poros & meatus cutis evaporare afferit. Gerard.  
 Leon. Blasius, Medicus Amstelodamensis , in Medicin. general.  
 lib. V. Sect. IV. cap. XV. non solum de fuliginum transpiratione  
 agit, easq; per os & corporis poros, caloris consumentis & expellentis  
 spe exitum nancisci, asseverat; sed & libr. II. sect. II. subsect. II.  
 cap. V. fuligines, qvæ hic pertinent, definit per humorem, ex alia-  
 rum corporis partium substantia, portionibusque sanguinis ad nu-  
 tritionem, spirituum generationem, aliosque usus ineptis, ad cor-  
 poris superficiem, maximè arterias, delatis, constantem, per habi-  
 tum corporis formâ itidem halitus evaporantem & condensatum,  
 instar furfuris cuticulae linteisque adhærentem. Quibus Testi-  
 bus licet Attica sit habenda fides, tamen cum Res ipsa pro se  
 verba faciat, non tam Authoritate, quam Veritate pugnabi-  
 mus. Nec arena erit difficilis, qvovis individuo, pro suæ  
 idiosyncrasie modulo, in semetipso animadvertente, ut (1.)  
 tempore Brumæ, ubi Transpiratio ob ambientis frigus alias  
 inhibetur, validiori corporis motu fuligines è sanguinis domi-  
 cilio elicitæ vestimentis inhæreant, & ab iisdem detentæ,  
 qvo non illicò asscentur Aëri, blandum corpori calorem  
 concilient. (2.) Qvanta in hyeme fuliginum copia, sive  
 quantus halituum & vaporum chorus, sub stragulâ delitescat  
 & decumbentem circumcingat, lecto de improviso remoto,  
 auraq; frigidâ subito admissa, perinde ac strato super de-  
 cumbens ostro in Evaporario contineretur. (3.) Ut lævigata  
 Metalla, admoto minimo digito, qvo aurum cerumen ex-  
 purgare conservimus, confessim capiant vitium & notabili  
 maculâ polluantur; non secus atq; speculum probè expoli-  
 tum, ex halitu, qvem ore effundimus, nubilam labem con-  
 trahere videmus. Nec injuria posset argumentatio exinde  
 fieri, à minori ad majus, nempe si extremorum artuum ex-  
 trematantâ vi pollent dispergendi fuligines, ut earum notæ  
 certis

certis corporibus imprimantur, qvæ nam & qvanta emerget nubes circa corpus, cum hujus partes omnes pariter atqve insimul evaporârint. (4.) Cum sangvis non sit humor homogeneus, sed ex variis & plurimùm à se invicem diversis portionibus constans, ita ut Aqvam Terræ, Sal Sulphuri, Balsamico biliosum, Alcali Acido, Volatilifixum, Dulce Amaro &c. in se commixta habeat; contraria ire invicem in adversa studia, & unumqvodlibet illorum eò eniti, ut alterum expellat, nullum superest dubium. Ast in hoc tumultuario conflictu Flamma vitalis in Sangvine, Dux & Imperator, si nolit post principia stare, potenti virtute utitur & amicas suoqve pabulo inservientes particulas sibi reservat & in suam substantiam convertit, hostiles autem in fugam conjicit; unde qva cuique patet via erumpunt, & terrestria qvidem, crassa, biliosa, Alcalica, fixa, &c. fundum petunt & per viam publicam aufugiunt; Aqveæ ac serosæ nimis per Vesicam urinariam dilabuntur, & reliqvæ, licet à Terrâ, Aqvâ, Sale, Sulphure, Bile, &c. participant, tamen qvia ad majorem Volatilitatis statum sunt evectæ, pedibus auxilium sibi petunt per cutim & sub specie Vaporum sive Fuliginum illam perceptant.

### §. X.

*Helmontius Tractat. Complexionum atqve Mistionum & Elementalium figmentum §. 33. Fuliginem, affirmat, omnem esse partim Sal volatile Concretè, præservatum ab inflammatione, propter Aquæ evolantis commistionem; partim oleum; quod evolandi celeritate combustionem præterfugit. Nec ipsum in hoc erravisse judico, patitur enim ejus sententia non abs nonam applicationem ad fuligines nostri corporis, quæ itidem Salis & Olei nonnihil in avolatione retinent, qvorum illud serosæ portiones secum abripiunt & àflammæ consumentis vi defendunt, hoc autem, mors artificalis (i.e. flamma ut ibidem pro suo novaturienti genio loquitur) arripiat, qvam celerrimè se per poros subducit.*

### §. XI.

## §. XI.

Sed idem in Tractat. Asthma & Tussis §. 53. seqq. in discursu, cur celeri passu, per declive aut in plano deambulans, non æque atque lento gradu scandendo anhelet? Scholarum fuligines pro asini morte habet, & eò usqve eludit, ut fuligo ipsi abeat in fuliginem. Nam (1.) qværit, quid Etymo fuligineum subaudiant? cui qvæstioni opponimus præsentis exercitii §. VIII. (2.) Dicit esse impossibiles; cum tamen paulò ante, recensitis fuliginum duabus speciebus Aristotelis, humidâ scilicet, qvæ alio nomine halitus appelletur aqveus, & siccâ sive oleosâ, qvam aliàs nuncupet exhalationem; tertiam ex Chymiâ, ceu Peripateticis ignotam, qvâ ipsum corpus à connexis fumotenus ascendit & vasorum spondis se affigit, Sublimatumqve dicitur; & quartam de suo adjevit, dum videlicet corpus solidum, vi fermenti, disponitur in flatum sive Gas sylvestre. Ut ita ipsemet jugulo suo gladium admoveat, qvando fuligines primò negat, & deinde novum illorum genus prioribus addit. Impossibile Philosophis duplex est, vel absolutè tale, vel respectivè: illud consideratur, vel ut positivum & potentiam ad agendum prorsus ineptam indicat; vel ut negativum, repugnantiam involvens atque contradictionem: Respectivum verò dicitur, qvod licet fieri possit, non tamen cuvis ad id præstandum potentia sufficit. Neutrobiq; Naturæ impossibile est, peragere Transpirationem & fuligines per corporis peripheriam trajicere; nam neqve implicat, neqve deest potentia, neqve etiam Individuum hominum datur, cui non eadem insit virtus agendi & recrementa cutanea dispergendi; licet pro diversâ Ætatis, Temperamenti, Sexûs, & Annuæ tempestatis habitudine non parùm variet. Tum, si ipsius Gas sylvestre, fulignum loco substitutum, penitiùs inspiciamus, ut est explicatum in Tractat. de flat. §. 4. non adeò incongruum est accommodatu ad thesin nostram de fuliginibus, qvippe & has

(qvandiu naturaliter se habent) æqvè ac illud, sunt incoërcibiles & neqveunt in corpus cogi visibile. Ut taceam, in eodem loco Gas fuliginosum adstrui. (3.) Vocat *fuligines anonymas*, i. e. si non nomine carentes, tamen infreqyentes usu, obscuras atqve ignobiles. Profectò h̄c dormitat Homerus & sui nominis obliviscitur. Qvæ enim, quæso, inaudita, obscura, barbara, absurdâ prorsus, nova, & sanè ab omniforo Latiali proscripta vocabula ipse sibi fingit & exegitat? E. g. Gas, Blas, Leffas, Qvellem, Archeus &c. ejusmodi sunt fictitia nomina, ut ab illorum perceptione vel triceps Cerberus horrore concuti valeat; digna omnino, ut donentur marito Veneris & conjificantur in Ignem, cuius Philosophum ille se profitetur. Fuliginem econtra non pertinere inter Anonyma, testimonio est locus apud Poëtarum Principem *Virgilium*, Eclog. VII. vers. 50.

*Hic focus & tæda pinguis; hic plurimus ignis*

*Semper, & assidua postes fuligine nigri.*

*Agellius* quoque utitur phrasī: *Argutiarum & verborum fuliginem ob oculos jacere.* Lib. I. Noct. Attic. c. 2. Et Plautus os describit oblitum fuligine. *Tullianæ quoque eloquentia placuit, memorare fuliginem Orat. in M. Antonium Philipp. II.* (4.) *Nondum esse examinatas, ait, an subter vaporum an vero exhalationum classes militent?* In utrumqve paratae sunt illæ particulæ, nec longiori examine habent opus: nam si humidæ magis transpirent, conduxit illas vapor; si abundant siccæ, sub signis exhalationis militiam colunt.

### §. XII.

Helmontii vestigium premit Cl. & in fundamentis Physiologicis pariter ac Pathologicis ingeniosissimus *Gualterus Charleton*, qvando Exerc. VIII. §. 2. not. III. opinionem de fuliginibus partim per poros carnis & cutis, partim per expirationem è broncho arteriæ asperæ expulsis, figura non absimilem & §. 14. adeò insulfam, ut vel Heraclito risum excutiat,

*cutiat*, judicavit. Verum enim verò rationes, qvas in contrarium profert Vir laudatissimus, eadem facilitate destruuntur, qvā adstruuntur. Nam (1.) falsò supponit, fuligines ex nudā cordis agitatione & sanguinis conqvassatione exsurgere. Id enim nullus hodiernorum Doctorum afferit, sed contrarium potius elucescit ex Willisio, cuius scripta pariter longam ferent ætatem & Authorem gloriæ plenum ad posteros deducent; fuliginem nimirūm esse sobolem longioris fermentationis & ex fermentatione portionum sulphurearum deflagrationis. (2.) Nemo qvoqve reperitur, qvi verbis expressis affirmet, fuligines singulis cordis systolis vel arteriarum diastolis turmatim avolare, ob modò datam causam, qvod fuliginum generatio non tam à sanguinis motu locali & propulsione, qvam ab ejusdem fermentationis & effervescentiæ morâ dependeat. (3.) Cum ipse Charleton ambabus largiatur manibus, posse fieri, ut sanguis evadat halitus, nihil obstat, qvo minus fuliginibus sit obnoxius; præsertim qvum in præcedentibus cauçum sit, terminum illum non adeò strictè accipiendum esse, sed eò debere extendi, ut & vapores atqve halitus sub se comprehendendat. Et hæc sunt, qvæ Charleton reponenda duximus, non qvidem proprio Marte ad id incitati, sed ansam suggestente Discursu, qvo ceu doctissimo, nuperrimè in Prælectionibus publicis, super *Charleton. Oeon. Anim.* usus est Nobilissimus hujus Disputationis Dn. PRÆSES, Præceptor noster Honratissimus.

## §. XIII.

Differentia specifica desumitur II. à subiecto, qvod in in definitione ut & §. V. *Cutim* fecimus ac *Cuticulam*. Ultra-qve communi integumento corporis inservit, & hæc qvidem medio illius, cuius existimatur ab aliis efflorescentia vel operculum, *vid. Anat. Renov. Barthol. p. 14.* Foraminum tota cute numerum esse innumerum, eaqve constituere oscula

arteriolarum huc desinentium, effatum est *Lindenii in Melet.*  
*Med. loc. supra alleg.* Et prius confirmat reliquus ordo Anato-  
micorum, quos feliciter & saepius iterata corporum dissectione  
apud omnes nobilitavit. Adesse autem eo potissimum fine,  
quo cutis exitum de excrementis & fuligines excludat in sensibili  
perspiratione, quam magis sublevamur, quam omnibus sensibilibus  
simul unitis, Vates est *Hafniensis Aesculapius*, cit. *Anatom. p. 20.*  
Foramina illa appellantur communiter pori, & sunt ex mente  
*Willistii, Pharm. Ration. part. II. sect. III. cap. V. bini generis, vel*  
*majores, vel minores.* Sub illis per sollicitum epidermam Curio-  
sissimi Anatomici *Dn. Marcell. Malpighii Tract. de externo*  
*Tact. organo p. 20.* continentur non solum sudoris vascula, sed in-  
numeræ pœnè pyramidales papillæ; haec autem emergunt à subje-  
cta cute: sub protractis enim singulis rugis, quæ in cuticula &  
rete (i.e. corpore reticulari, quale alia idem in lingua observavit)  
protuberant, bini papillarum ordines paralleli per longum didi-  
cuntur, in quorum medio dispersa locantur sudoris vasa. Dum  
igitur sanguis per arterias capillares protritus ad superficiem  
cutis, sua diffundere cupit miasmata, nullam habet apertio-  
rem viam istis foraminibus, quibus subnexæ sunt glandulae  
subcutaneæ, magnitudine milium exequentes & proin milia-  
res dictæ. Nam ubique in corpore sanguis evacuationem  
instituit, ibi provida natura glandulas collocavit, i.e. ta-  
lia corpora, quæ liberatas calor vi à sanguinearum amplexibus  
serosas partes imbibunt, & per convenientes sibi poros expellunt in  
*Capillaria Lymphaticorum*, concurrente nervorum extremis venis  
affixorum directione, elicito per sensuum perceptionem mentis im-  
perio subjectâ: *Barthol. Anatom. renov. pag. 6.* Usum autem  
in Transpiratione hunc præstant, non solum, ut in illis per-  
coletur ac cribretur serum Lymphaticum, sed etiam ut eæ-  
dem superfluas portiones sanguinis, sive fuliginosæ, sive sero-  
fæ, sive quæcunque aliæ fuerint, ulterius amandent, ac poris  
ad exturbandum tradant.

## §. XIV.

Qvod autem *Lindenius*, loco citato, meminit esse poros aliud nihil, quam oscula arteriolarum huc desinentium. Veterum errat errorem. Nam qvotiescunqve fieret Transpiratio vel Sudatio, & oscula vasorum hiarent, i. e. pori recludentur, semper semperqve sanguinis metuendum foret profluviu. Qvod antiquatum dogma egregiè quoqve confutat *Malpighius l. alleg. p. 40.* Ubi, nec credibile est, inquit, illud antiquitè evulgatum, cutis poroseosdem esse ac extrema venarū, & arteriarum ora, à quibus serositates & quandoque morbosæ minerae eliminantur: nam constat orificia, præter insignia illa oris oculorum, narium &c. dependere à crebris & frequentibus osculis excretiorum vasorum à substratis glandulis emergentium. Idem ibid. poros esse docet vascula sudoris, Tubulorum instar copiosissima, qvæ media inter binos papillarum ordines producuntur, qvam sententiam amplexus est & fusiùs diduxit olim *Joh. Georg. Rötenbec. in Disp. Med. inaug. de sudore præter naturam.* Et *Steno* meatus esse glandularum excretorios evincit, ductus ab Experientia Anatomicâ, singulis poris subjacere singulas glandulas. Hunc etiam in finem evolvi potest *Dissertatio Schenckii de poris cutaneis*, ubi egredia & ipsi Malpighio laude digna visa proponit. Ceterum aκεβολογίαν Lindenin nec culpamus, nec extollimus, distinguens in *Select. Med. p. 196.* inter τεχνη & πόρου, ita ut foramen propriè sit locus apertus forandi; porus autem foraminis etiam addat prolixitatem. Foraminibus enim cutim esse præditam, ipse fatetur, quando ibidem, parant, ait, cutim igniculi, qvos natura extrudit, ut ne suffocetur Ignis vitalis; & illa mereri, ut pori appellantur, inde manifestum est, qvia in opere Transpirationis non tantum foramina requiruntur, sed & aperta, ampla & aliquantum prolixa.

## §. XV.

Cuticulam constituit pellicula exterior, tenuis atqve densa,

densa, exsangvis itidem & vitæ sensusqve expers, utpote vasis omnibus destituta, qvæ cutis subjacentis substantiæ artissimè cohæret, ut ipsi continua fermè appareat, licet non nunquam præter naturam instar exuviarum serpentis deponi possit, qvod de se testatum esse Felicem Platerum Bartholinus Anat. p. 16. adducit. Quemadmodum verò cutem & ad illam porrecta vasorum oscula tegit, ita & perforata per suos poros sudoris vasculorum orificia ostendit. Ad eam cum pervenerint fuligines, è corpore protinus exhalant & in Aërem postmodum disperguntur.

### §. XVI.

Tertiò desumimus differentiam à Formâ, cujus respectu dicitur *Insensibilis*. Addidimus tamen in definitione nō ferre, qvoniam (1.) non absolutè talis est, sed comparativè. (2.) Corpora dantur, qvæ fortiter, licet sine valetudinisnoxâ, transpirant, & exhalationis actum qvodammodo sentiunt, qvalia habentur, qvibus sunt obesa terga & profundi ventres. (3.) Insensibilitas potissimum de sensu tactûs intelligitur, uti jam in antecessum monuimus. Sed per Neotericorum Hypothesin, nec cuti, nec panniculo carnosof, nec pinguedini, nec membranis, nec carni musculosæ adæquatū Tactûs organum adscribendum est, verùm fibrillis solummodo nervois, spirituum copiâ ubique refertis, & quasi distentis, qvæ tanquam fidium chordæ, quoties à tangibiliū ictibus feriuntur, impulsu m quilibet ubivis acceptum, per nervorum ductus ad commune sensorium propagant, docente incomparabili Naturæ Scrutatore Williso, de Anim. Brut. part. I. c. II. p.m. 90. At cutim nervos comitari, & papillæ nervosæ recens inventæ arguunt, & Antiquiores Anatomici, non reluctantibus etiam Neotericis, tantam nervorum sobolem in cute notarunt, ut nervum sanguineum dixerint, & alii unicum nervorum extimam expansionem putaverint; annotante, per experimentum ex inspectione corii tempore consumti comprobante & dubium, cuius-

jusnam nervi illi sint propagines , discutiente *Malpighio l.c.*  
*p. 32. 33.* Unde si à continuo contactu fuliginum nervi sen-  
sūs nullius fiunt participes, Transpirationem meritissimo suo  
insensibilem appellaveris. (4.) Licet congeries nervulorum  
afficiatur, tamen vel adeò leviter evenit, ut nulla creetur sen-  
sūs molestia, vel consuetudine eò adducti sumus, ut si qua  
fiat, non amplius attendamus. (5.) Subsidio veniunt meatus  
glandularum excretorii, qvi advenienti cohorti confestim  
portas pandunt & transitum facilem largiuntur.

### §. XVII.

Qvomodo autem id fiat, jam dum aliqualiter innuimus,  
& erimus igitur in hoc eò breviores. Causa omnis refundi-  
tur in motum sanguinis fermentativum, qvi cum non contin-  
gat absqve calore, subit ejus vices flamma vitalis & particula-  
rum conjunctam compagem dissolvit, educit, separat, & in  
morem Mediatoris pugilum paria sui interpositione divellit.  
Si cum *Willisio* collationem cruoris cum generoso *Vino* in-  
stituamus, qvo ad fermentationis ac effervescentiæ rationes  
certè totum negotium Sole meridiano clarus observabitur.  
Mud enim (fas mihi sit, locum tam nobilem & rem, ut reverà  
est, accuratissimè experimentem, verbis immutatis, de inte-  
gro, ex *Tract. de febrib. c. I. p. m. 70.* mutuare & veritatis illu-  
strandæ gratia chartæ denuò tradere !) quamdiu vase sive do-  
lio includitur, ejus particulae subtiles q̄ spirituose, alias crassiores  
perpetuo exagitant, refringunt, & exactæ mistioni aptas red-  
dunt: quod heterogeneum est & subactioni ineptum, efferve-  
scentiâ secernitur. Interim liquor depuratus blandè fermenta-  
scens, in perenni est motu, quo partes omnes (velut atomi in tran-  
senna lucis varie permoti) quaqua versus se expandunt, & à sum-  
mo ad ima, ab ima dein ad summa, constanti circumgyratione con-  
tendunt. Particularum attritu & refractione, à liquore dece-  
dunt plurima atomorum effluvia, quæ si vase strictim occluso in-  
tus cohibentur, liquor nimis effervescit, ac sapè vas continens in  
partes

partes diffilire facit. Non absimili modo sanguis intra venas & arterias conclusus, constanti circulatione urgetur; Spiritus vitalis crassiores particulas subtiliat, refringit & exactè subigit: quod heterogeneum est, & non miscibile foras expellit; interim à partium & corpusculorum refractione & subactione caloris effluvia constanter emanant, & per poros foras evaporant; quibus occlusis si transpiratio impeditur, statim ob nimiam sanguinis effervescentiam febris acceditur.

### §. XVIII.

Quarto à tempore; quod subinnuit in descriptione positum vocabulum ordinariè, i. e. omni. Noctes enim diesque transpiramus, utut differenti gradu. Neque ullum ab ea excipitur tempus, nisi sola hyems, quæ difficilem reddit, propter pororum ab aere ambiente frigido constipacionem. Addidi autem, in statu secundum naturam, quia quam primum aliquid extraneum & fermentativæ naturæ sanguinis contrarium corpori præternaturaliter accedit, transpiratio turbatur & vel plus justo velocior, vel langvidior, vel prorsus nulla efficitur, vel etiam in sudorem migrat. Quantum verò sanorum quisquis in dies evaporet, computum evacuationis quotidiane init. *Sanctorius Sanctorius, de Staticâ Medicina Sect. III. Aphorism. X. Vir sanus, inquit, occultè diei cursu tantum exhalat, quantum per alvum dimidio mensis, licet quotidie coctas tamen & consistentes fæces semel excernat.* Quamvis nos illud computum nemini tanquam exactum velimus obtrudere, cum & ipsimet de certitudine adhuc ambigamus.

### §. XIX.

Quinto denique à Fine, qui duplex est, vel ♂, vel ♀. Ille respicit sanguinem cum calore vitali; hic Incolumitatem universi singularumque partium salvam constitutionem. Consectaneum namque est infallibile, remotis portionibus sanguinis massam puritate suâ spoliantibus ipsam impuritatem simul removeri, non secus ac sublatâ causâ effectus tollitur.

tur. Puro autem, i. e. integro & naturali existente sanguine, ignis vitalisflammam facilius concipit seqve per jugem sobolis sibi similis productionem continuat. Qvo facto, partes corporis omnes valent, vivunt atqve vigent & humana valerudo feliciissimè sustentatur ac propagatur. Qvæ omnia exactissimè enucleavit *Charleton. Oecon. Anim. Exercit. VII. de Depuratione sanguinis.* Et his Disputationi summam manum imponimus, rogantes, ut, cum plerumque canis festinans cœcos pariat catulos, properanti condonetur, si non ubivis scopum attigerit, ingenio, præsertim infirmo, materiâ contrâ gravi, & librorum supellestile curtâ existente, adeò ut satis sit in magnis Voluisse.

*CLARISSIMO  
DISPUTATIONIS AUTHORI  
Amico edecumato  
S. P. D.*

**F**Oetus hic ingenii Tui, accelerato licet nixu editus, minimè tamen abortivus, ansam mihi dedit in memoriam revocandi, qvod apud Coum Principem non omnes ~~longevites~~ in corpore humano habeantur malæ & à vehementiâ copiâqve materiæ peccantis dependentes, qvales sunt secessus & transitus unius morbi in alterum gravorem; sed qvod etiam dentur bonæ, salutares & Criticæ, qvæ à Naturæ sive Vitalis Caloris vi- gore materiam vitiosam ab humoribus utilibus

D

segre-

segregante proveniunt, & harum aliæ ~~διποσάσιες κατ'~~  
~~έκρεψιν~~ cum manifestâ causa morbificæ evacuatio-  
 ne: aliæ ~~διποσάσιες κατ' διπόθετον~~ cum depositione ad par-  
 tem ignobiliorē Eidem dicuntur. Qværis, mi  
 Dn. MILLERE, qvomodo hæc ad rem præsen-  
 tem qvadrent? Paucis me expediam. Nimirum  
 mihi haud ineptè vídeor, dextro tamen sensu,  
 posse applicare illa ad Tuam qvoqve studiorum  
~~διπόσασην~~, qvondam in Illustri Philyreâ non temere  
 & ex animi qvadam levitate; sed justis plane  
 & in ~~ἰδίουγκεστη~~ Tuâ fundatis caussis suscep̄tam,  
 deqve hâc optima qvæqve ominari. Sane spe-  
 cimen hoc Academicō - Medicum præsagium  
 mihi præbet non qvidem excessus materiæ vitio-  
 sæ, qvin testatur potius de bonitate indolis Tuæ  
 rerum Medicarum peritiâ jam turgescentis, itâ  
 ut spem faciat mox subsecuturæ perfectæ  
~~έκκελτων~~, & peritiæ Medicæ ægris salutaris, Tibi-  
 qve glorioſæ. Ne igitur T E pœniteat studio-  
 rum ~~διποσάσιων~~, cum perswasissimum Tibi nunc  
 mecum habere possis, illam esse bonam, criti-  
 cam, & ~~αιγαθής~~, qvod dicitur in proverbio, ~~δαιμονο-~~  
 initam; multò minùs pigeat T E operæ ac tem-  
 poris, qvæ antehac impendisti in excolendo stu-  
 dio

dia Philosophico & Theologico, qvando & hu-  
jus utilitatem senties redundantem in  
vel sapientiam Medicam, qvæ præ omnibus aliis  
exigit Pietatem , ceu caput Virtutum & Ani-  
mam Medicinæ ab ingeniosissimo Lindeno jure  
merito appellatam, cuius verba aurea & prorsus  
annectere placet: Scientia de DEO  
ejusqve præsentia in rebus ad sanitatis morbo-  
rumqve cognitionem ac curationem attinenti-  
bus tam altis firmisqve radicibus se in animam  
atqve conscientiam Medicinæ defigit , ut nullâ  
inde vi evelli queat. Philosophiæ verò fructum  
sine dubio , vel me tacente , hactenus in addi-  
scendis fundamentis & præceptis Medicinæ ex-  
pertus es, & qvantum eadem imposterum alla-  
tura sit emolumentum, è Dictatore nostro sum-  
mo Tibi jam est perspectum , cuius verborum  
paucitatem facile supplet eorundem maximum  
pondus & ~~an~~ singularis: *In regis φιλόσοφος ιωνίος.*  
Medicus Philosophus DEO æqvalis. Maëste  
ergò, Amandissime Dn. MILLERE, hoc optimo  
~~διαστήματος~~: Tuæ successu! urgeas porrò ingenii Tui  
Criticos conatus, subjicias Te propediem proba-  
tionibus debit is , ut iisdem ritè exantlatis , ceu  
signis

signis antecedentibus, publico Honorum Testi-  
monio Criseos Bonitas, videlicet peritia Tua  
Medica, commendetur, qvæ deinceps longè la-  
tèqve sese exerat in Ægrorum salutem, Famæ  
Tuæ incrementum, DEI Opt. Max. Gloriam.  
Neqve Te terreat, qvod destituaris adhuc suffi-  
cienti experientiâ, qvin potius probè perpendas  
verissimam illam Gnomen Pergameni nostri Ar-  
tis Medicæ Ducis: Si Medicus Rationalis inve-  
nerit, id, qvod fieri debet, vel convenit, non ex-  
pectat longam experientiam. Vale. E Mu-  
sæo, inter occupationes, pridie Calend. April.  
A. C. M DC LXXX.

# TUUS

*ex animo*

PRÆSES.

